

Creatoris voluntas per corporea organa disposuit. Et proinde quoque naturalis ista capacitas in aliis exigua, in aliis eximia, in aliis admiranda reperitur.

§. 23. Præcipua tamen hujus capacitatis differentia dependet 1. ab *ætate*. Sic in pueris judicii impotentia undique elucescit, quæ verò corroboratâ ætate, sensim imminuta, culturæ ope ad summam sæpe assurgit præstantiam. Contrâ ætas puerilis mirâ memoriæ tenacitate commendatur, quæ verò maturescentibus annis, siccatoque cerebro plerumque in morosam definit hebetudinem. 2. A *Sexu*. Hinc plerumque in sexu sequiori judicii notatur imbecillitas. 3. A *Temperamento*. Sic in Cholericis judicii sublimitas, in Sanguineo amœna atque arguta ingenii facilitas, in Melancholico memoriæ excellentia spectatur. 4. A *natione*. Sic Gallis communi suffragio præstantissimi ingenii felicitas, & judicii penuria, Hispanis judicii sublimitas, ingeniique defectus tribui solet.

§. 24. Ad tres Classes verò omnium ingeniorum diversitas commodè revocari potest, ut prima inhabilia, secunda mediocria, tertia excellentia sub se comprehendat. In prima ut sunt miserrima, ita quoque rarissima, dum omnibus saltem una ex recensitis facultatibus intra mediocritatem obtigit. Secunda complectitur mediocria, h. e. in quibus vel judicii, vel ingenii, vel memoriæ vis in excellentiori gradu se exerit, cæteris supra mediocritatem non assurgentibus. Tertia tandem mera Excellentia sistit, h. e. talia, in quibus conjunctim omnes facultates in pari præstantiæ gradu conspiciuntur.

§. 25. Ex his probè intellectis consequitur, alterum altero ad certum eruditionis ordinem esse naturâ accommodatiorem. Sic illi, in quibus ingenii vigor emicat, ad eloquentiæ & Poëseos culturam innato quasi impetu feruntur; cum è contrario illi, qui majori pollent judicio, ad Sapientiæ divinæ & humanæ adyta, sunt manuducendi. Quis ergo non videt, accurato scrutinio prius vires ingenii excutiendas esse, quam nos certo Eruditionis generi addicamus?

§. 26. Inter Facultates autem expositas Judicium omninò primas tenet, quoniam eo in *eruditionis acquisitione* nullus carere potest. Nec obstat, quod veritas per se una sit, simplex, plana, sibiq; optime constans. Est omnino, sed errorum coloribus atque fallaciis ita investiri potest, ut